



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De speciali inuocatione B. Virginis. Cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

quo in terra vitam celestem instituit.

Si ergo Christus Rex propter septem hæc regna, quibus præfider, septem habet diademata, quæ sunt suæ regni dignitatis insignia: Maria Regina eisdem coronis coronabitur, vt beneficio Regis Christi, omnibus regnis eius præficiatur. Si enim Assuerus Rex, cum adamauit Esther, [posuit diadema regni in capite eius,] nempe totius regni sui: quanto magis Christus posuit diademata sua in capite Mariæ matris suæ, quam præ omnibus adamauit, & super omnes res creatas exaltare decreuit? Tu ergo coronam Virginis in honorem huius coronæ multiplicis die Dominico recitabis, & eodem modo ac plate-riam supra dictam, eam inchoabis.

In primo ergo denario coronæ vocabis beatam Virginem Reginam clarissimam: quia verè clarissima est, quæ tantæ luci eminet, & pro vita cælesti in hac mortalitate instituenda, præcaberis.

In secundo, vocabis eam potentissimam: quia verè potentissima est, quæ hæreses & infidelitates interimit: & postulabis ab ea, vt verbo & exemplo Ecclesiæ proficiat.

In tertio, vocabis eam fortissimam: quia plusquam Martyres vniuersi sustinuit: orabisque eam, vt patienter pro Christo aduersa perferat.

In quarto, vocabis eam felicissimam: quia cunctarum Ecclesiarum gubernationi intendit: petesque ab illa, vt sollicitè in munus tibi demandatum incumbas.

In quinto, vocabis eam sapientissimam: quoniam omnes Ecclesiæ Doctores erudiuit: petesque, vt spiritui orationis & contemplationis instat.

In sexto, vocabis eam obseruantissimam: quia has luteas sedes incolens, in omni se virtutum genere diligenter exerceat: potesque ab ea, vt castigatione tui corporis fulgeas.

In septimo, vocabis eam mundissimam: quia omnem virginū puritatem post se reliquit: orabisque, vt munditiam etiam desideriorum & cogitationum obtineas. Ex his facile erit septem precationes conficere in hunc modum.

Post primum denarium corona sic præcaberis:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Angelorum clarissima: congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo spiritibus cælestibus vniuersis præemines. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Angelorum, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo vitam puram, cælestem, & à terrenis desiderijs elongatam, vt illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post secundum denarium, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Apostolorum, Patriarcharum, & Prophetarum potentissima: congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Apostolis, Patriarchis, & Prophetis præemines. Oro te, ô Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Apostolorum, & Patrum antiquorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo gratiam abundantem, vt Ecclesiæ verbo & exemplo proficiens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post tertium denarium, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina Martyrum fortissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo martyribus vniuersis præemines. Oro te Domina mea, & mater filij Dei, ob coronam reginæ Martyrum, qua ornata es, vt impetres mihi

ab eodem filio tuo donum patientiæ, vt pro eius amore aduersa perferens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post quartum denarium, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Pontificum sollicitissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Pontificibus superemines. Oro te Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam reginæ Pontificum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo piam sollicitudinem in bonis operibus, vt diligenter in res mihi demandatas incumbens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post quintum denarium, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina doctorum sapientissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo omnibus doctoribus præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob coronam reginæ doctorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo orationis & contemplationis donum, quo cælestibus mysterijs superintentus, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post sextum denarium, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo maria mater mea, & Domina mea, regina confessorum, monachorum, & anachoretarum obseruantissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus confessoribus, monachis, & anachoretis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob diadema regium Reginæ confessorum, & aliorum sanctissimorum virorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo donum castigandi, & continendi corpus meum, vt illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

Post tres saluationes septimi denarij, sic:

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea, regina Virginum, viduarum, & omnium sanctarum mundissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo cunctis Virginibus, viduis, & aliis sanctis faminis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob coronam Reginæ Virginum & omnium Sanctarum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo munditiam operum, desideriorum, & cogitationum, vt mundus existens illi in omnibus placere possim. Amen.

Sic poteris die Dominica coronam Beatæ Virginis recitare, aut alio modo simili, quo vinctio te docebit, & pro certo scias, quia benignissima Mater omnium fidelium nullo modo hoc vel exile donum contemnet, sed te pro eo magnis beneficiis ac donis afficiet.

De speciali inuocatione Beatæ Virginis.

CAPVT V.



E VOTIDIE etiam non solum per orationem vocalem, sed etiam per aliquod exercitium orationis mentalis cum Beata Virgine agendum est. Cui consecutimas certa aliqua diei hora nostras miseras patefacere, & necessitates aperire, vt per hanc orationem desideria nostra accendentes, & affectum mouentes, ad dona cælestia promerenda disponamur. Beatam Virginem, & omnes Angelos, & Sanctos beatos nostras orationes, etiam sola mente ad

eos fufas, audire, & noſtra defideria ad eorum auxilium implorandum directa cognoscere, conſtans omnium Catholicorum ſententia eſt. Siue illa, eadem viſione qua Deū intuentur, videant, quod verifimilius eſt, & dictis Patrum conformius, ſiue particularibus reuelationibus ſibi à Deo factis cognoscant, quod ab hac ſimplici tractatione alienum eſt. Certè Bernardus ſic ait: Et verè quid opus eſt ſcalis tenentiam ſolum? Creatura cœli illa eſt, præſtò habens per quod potiùs iſta intueatur. Vider Verbum, & in Verbo facta per Verbum: nec opus habet ex his, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim vt vel ipſa nouerit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi illa videt, vbi longè meliora ſunt quàm in ſeipſis. Et Gregorius quodam loco de Angelis, & alio loco de ſanctis beatis ait:

Quia illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi nesciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? Et Auguſtinus, Multum intereſt inter cognitionem rei cuiuſque in verbo Dei, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem peccineat, id eſt ad notitiam, qua res in Deo videtur; hoc ad veſperam. Hæc illi Patres. Quod & ex ipſa natura ſtatus beatorum colligitur. Illis namque nihil de eſſe poſſe eorum quæ ad ſœlicem fortem ipſorum neceſſaria, à ſapiente iudicabitur: aliquid profeſſò deſiceret, ſi iuxta regem poſiti, preces ipſas orantium ignorarent, vota nescirent, & eiſdem impetrando & ſuplicando pro eis nullum remedium afferrent.

Virgo igitur Beata (vt nunc de illa loquamur) noſtras preces audit, noſtras lacrymas videt, noſtra vota & defideria cognoscit. Quis ergo non genuſclectat ante illam, & quanta poterit reuerentia illam veneretur, ab eaque non tam verbis quàm affectibus & defideriis poſtulet ſuarum miſeriarum remedia, ſuarum tentationum victoriam? Tu igitur qui ſanctæ Virginis amore teneris, & erga eam grati diuis affectu tangeris, in aliqua hora veſperæ aut noctis intra cubiculum mentis tuæ, & clauſo oſtio omnibus terrenis & curis & cogitationibus, ora matrem tuam, & ipſa quæ videt in abſcondito, reddet tibi.

Sic autem eam inuocabis. Primò, ipſam Bearam Virginem, vt decet, magnificis titulis exalta. Voca eam Mariam ſanctiſſimam, puriſſimam, prudentiſſimam. Voca eam Reginam Angelorum, Imperatricem hominum, Dominam omnium creaturarum, Matrem Dei veriſſimam, Matrem peccatorum miſericordiſſimam, & aliis ſimilibus titulis eam inuocando tuorum deſideriorum exauditionem poſtulaſ. Deinde tuas illi miſerias, tuam paupertatem, nuditatem, infirmitatem, puſillanimitatem, vulnera, & plagas aperies, & vt ea ad miſerationem aſpiciat, impensè depoſces. Poſtea de ipſius Virginis bonis gaudebis, quòd ſcilicet fuerit in Dei Matrem electa, ab omni peccato etiam originali præſeruata, tot virtutibus, tot donis, & prærogatiuis, tot diuinis reuelationibus, & conſolationibus affecta, & ſuper choros Angelorum exaltata. Tandem ab hac miſericordiæ Matre hæc ſuo ordine petes.

Petes inquam primò, vt impetret tibi à filio ſuo ſingularem affectum deuotionis erga eandem Virginem; vt eam in Dominam & Matrem habeas, vt ipſa te in ſeruum & filium agnoſcat.

Secundò, vt impetret tibi plenam remiſſionem omnium peccatorum, veriſſimam deſtationem eorum, & dignos in hac vita penitentia fructus, & vt poſſis dignè ſatiſfacere pro eis.

Tertiò, magnum ſpiritum mortificationis, iudicij, & voluntatis, leniſſimum, & paſſionum, elongationem intellectu & affectu ab omnibus creaturis, & victo-

riam tentationum, à mundo, à diabolo, & à carne prouenientium.

Quartò, augmentum fidei, certam ſpem, perfectam charitatem, veram in Dei voluntate religionem, mentis ſerenitatem, & pro receptis à Deo beneficiis gratitudinem.

Quintò, Feruorem in diuinis obſequiis, rectitudinem intentionis, & in omnibus circumſpectionem.

Sextò, Donum orationis, donum habendæ ſemper præſentia diuinæ, obedientiam ad ſuperiores, affabilitatem & manſuetudinem ad fratres.

Septimò, Magnanimitatem, patientiam in aduerſis, manſuetudinem in iniuriis, conſtantiam in bonis propoſitis adimplendis.

Octauò, Paupertatem, caſtitem, humilitatem, atque eius comites inſeparabiles, modeſtiam & ſilentium.

Nonò, Vt talentis tibi à Domino prærogatis, qualia ſunt literæ, ingenium, & cætera huiusmodi, Domino famuleris, cedantque ſemper in gloriam Dei proximoꝝque ſalutem.

Decimò, vt reuerenter, deuotè, & fructuoſè ſacrum Miſſæ ſacrificium celebres, vel ad ſacram communionem accedas, vt eo miniſterio occuperis, in quo Domino acceptior ſis futurus, & vt auxilium efficaciſ conſequaris ad bene ſatiſfaciendum huic muneris, in quo nunc occuparis.

Vndecimò, Tandem petes perfeuerantiæ donum, ſœlicem & ſanctam mortem, & auxilium in tremendo iudicio.

Ex his ergo punctis, aut ex aliis ſimilibus poteris formare orationem tuam ad Virginem, ita vt coram ea ſaltem per aliquam breuem morulam (nam hæc pro ratione affectus, & contrahi & protrahi poterunt) cor tuum effundas, & dona ad ſanctè viuendum neceſſaria, tibi dari depoſcas. Crede mihi, frater, in hoc exercitio magna eſt utilitas, & ſub hac ſimplicitate verborum ingens latet fructus. Nam benigna mater noſtra occaſiones quaerit dicandi nos, & ad magnam virtutem prouehendi. Eſt autem illi magna exercendæ liberalitatis occaſio, ſi quotidie, vt pauperes & egeni, in conſpectu eius appareamus, & miſerias noſtras aperientes, dona fiducialiter poſtulemus.

De inuocatione Angeli cuſtodis, & Sanctorum.

CAPVT VI.

BEATA Virgo Maria Mater noſtra eſt ſic enim eam audacter appellamus, quia Dominum cruci affixum dicentem Ioanni, Ecce Mater tua,] & in eo omnibus nobis eadem verba proferentem, audiuiſmus. Angeli autem & ſancti ſunt aduocati noſtri, quorum eſt apud Deum noſtra negotia agere, & noſtram deſenſionem patrociniumque ſuſcipere. Sed inter Angelos, cuſtodis Angeli præcipue eſt interuenire pro nobis, & inſtar pædagogi nos noſtræque curare. Qui ex dilectione quam erga nos habet, de omnibus nos ipſos docet, à malo retrahit, ad bonum inducit, in proſperitate moderatè deprimit, ne ſuperbiamus, in aduerſitate iuuat, ne deſperemus, viuentes comitatur, morientes tuetur, & ducem ſe ad Deum properantibus præbet. Inter Sanctos verdè illi præcipue nobis opem ferunt, quorum dies feſtos celebramus, quorum auxilium

ſpeciali

Bern., ſer.
de conſi-
derat.

Greg. 2.
mor. c. 2.
& 4. dia-
lo. c. 33.
Aug. 4.
de gen. ad
liſ. c. 23.